

ret ex hac circumstantia, quod in nefario isto homine concurre-
rint tria maximè scelera verè detestabilia, (1) *Perfidia* in patriam.
(2) *Crudelitas*. (3) *Avaritia*.

Explicatio 2. partis.

Narratio de liberatione reliquiarum populi complectitur (1)
Antecedentia. (2) *Ipsam liberationis factum*. (3) *Consequentia*.

I. *Antecedentia* duo annotantur in textu: *Unum est Occasio*, quam
Johanan cum sociis adeptus est nuncio cum de cædibus illis nefan-
dis, tum de Consilio *Ismaelis* abducendi reliquias ad *Ammonitas*; *Al-*
terum est, quod unà cum sociis persecutus *Ismaelem* profugum usq;
ad aquas magnas vel amplas in *Gibeon* [*Hügelstadt*] ad lacum vel
piscinam, de qua *2. Sam. 2. v. 13*. Fuit enim *Gibeon* olim Metropolis
& sedes regia *Ephæorum*, qui orti ab *Ephæo* filio *Jonan*, distita fuit ab
Hierosolymis plus minus quinquaginta stadiis, attributa post *Levitis*,
filiis *Aaron*; mentio ejus fit in *l. Jos. c. 8. 9. 10*. Itemque *1. Reg. 3*.

II. *Factum ipsum Liberationis* iterum duo complectitur, quo-
rum (1) *Læta reliquiarum populi ad Johanan*, simulac cum per-
spexerunt, transitio. (2) *Ismaelis* cum octo tantum hominibus iisq;
latronibus ad *Ammonitas* abitio.

ψ. 13.

ψ. 14.

ψ. 15.

III. *Consequentia* itidem duo commemorantur, quorum (1)
quod *Johanan* unà cum reliquiis suis promiscui sexus & ordinis non
reversus in urbem *Mizpa*; eò quod locus ille ipsi non satis tutus
visus; sed concessit in locum quendam alium situm in agro *Beth-*
lehemitico, qui appellatur in textu *Gerud Chimham*. *Chimham* verò
fuit filius liberalissimi illius *Barsillai*, de quo *2. Sam. 19. vs. 31. & 37*.
Et videtur *Gerud* (rectius enim pro proprio quam pro appellativo
habetur) fuisse vicus in agro *Bethlehemitico* donatus filio *Barsillai*
Chimham à *Davide* de patrimonio ipsius in compensationem meri-
torum *Barsillai*. Commendat itaque *Davides* suo nobis Exemplo
gratiæ referendæ studium. *Alterum* est, quod præ metu *Chaldæo-*
rum consilium ceperunt de profectioe ex patria in *Ægyptum*, de
quo pluribus in seqq. capp.

Ἀξιωματικόν τε.

1. τὰ λεξικά.

1. Panis pro convivio. 2. 80. viri Hierosolymam versus itu-
ri. 3. Ri-